



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Antiquae Lectionis Tomus ...**

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

**Canisius, Heinrich**

**Ingolstadii, 1602**

XVI. De paralytico apud S. Emmerammum curato.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

*Matth. 8.*

quam procaciter transeuntem in terram, oppilauimus sermone in hunc modum se continente. Quia Domino nostro IESU Christo corporaliter cum hominibus cōuersato, ac munera suæ pietatis intra & extra synagogam, patribus vestris magnificè impertito, non solum cum eis ingrati exitistis, sed miserrima vosmetipsos interficientes dementia etiam hoc in malum vestrum accumulastis super iniquitatibus eorum, ut in eo capiti omnium bonorum, nec non illius membris electis detraheretis, vnde salutem gratis oblatam attrahere debuistis; ecce conuertimur ad gentes quæ Dominum in Sanctis eius nouerunt laudare fideles. & quia indignos vos DEI iudicastis gratia, ac omne bonum vsq; hodie à salute vestra negatiua diffeffione repulistis, his fructuosè proponimus margaritas, qui sciunt cum honore suscipere illas. Vobis autem erit æterna confusio, restante Christo in suo Euangelio: Quia filij regni in tenebras exteriores erunt trudendi, & sine fine puniendi. Cæterum ut reuertamur ad humilitatis nostræ propositū. O lectores & auditores, qui veræ fidei estis confessores, q; de Christi gratia Sanctorumq; gloria Iudæis visum est dubiū, dilectioni vestrę monemus non dubium, sed semper maneat certū, quia ostium Dei quod alijs est clausum, alijs iusto Dei iudicio erit apertum. Ante quem & in quo cordetenus orandum, ne cum hoc mundo damnemur, sed Redemptoris gratia potenti saluemur. Cuius in charitate spes nostra ponenda cum fide, ne permittat de parte iustorum perire, pro quibus dignatus est mortem crucis subire,

## XVI.

*Burchardus  
Marchicomes  
& Præf. Ra-  
tisbonens.*

Erat quidam vir ingenuus BURCHARDI Marchicomitis & Præfeti Ratisbonensis vasallus. Hunc diuina à DEO corripuerunt flagella, ut neruis contractis omnium penè

penè destrueretur officijs. Cumq; diu huiusmodi castigatione attereretur, demum ad opus Dei in illo manifestandum, sub spe non confundenda ad sanctum Emmeramum defertur in cuna, infantibus magis eatenus apta quam viris. Cuius vehiculo vt ad altare testis peruentum, ibiq; aliquantisper est oratum, is qui cunulæ adhæsit vt pugio, repente robustus erigitur ac sistitur vt homo. Tum videntes qui aderant in nouo Martyris mirigerulo plenam staturam, resurrectionis ad instar generalis, proceram. In Ecclesia eiusdem testis immolabant DEO hostiam vociferationis secundum illud, quod Dauid ait: Vox exultationis & salutis in tabernaculis iustorum. *Psal. 117.* Cum quibus idem patronus noster dulcissimus, æterna pro exilio breui patria donatus & pro pondere laborum inæstimabile præmium fortitus, pro morte pretiosa inusitato genere Martyrij acquisita. In tuo Christe regno gloriatur corona, quam elucere facit specialis tui & proximi dilectionis gemma. Qua & nos, pro modulo nostro, insignitos vocationis hora humiliter petimus à te inueniri, cuius misericordia quæ bona sunt in cordibus verè fidelium non permittit sopiri, sed pleno perseverantiæ fructu eorum facit opera finiri.

## XVII.

Gloria Sanctorum Christo congregantium patres & fratres est valde reuerenda, ira quoq; omnimodis cauenda, patientia verò omni sexui seu ordini pertimescenda. Ad hos namq; dicit Dominus: Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei. Et in Euangelio: Qui vos spernit me spernit. Quæ tonitrua ab ipso cælorum throno procedentia, nec non terrificè mortalibus intonantia ad eò contemnit, heu, malè surda seculariū duritia, vt inhiantes ad Ecclesiarum seu pauperum res, hæreditatem Dñi diripiendo suam faciunt; immo